I. GOTHOFREDI

DE

VELANDIS MVLIERIBVS,

DEQVE

EXVVIA CAPITIS

DISSERTATIO.

Ad D. PAVLI locum, 1. *ad Corinthios* XI.

DICATA

Doctiſsimo & Conſultiſsimo Viro,

D. CAROLO LABBÆO IC.

GENEVÆ,

Sumpt. Ioannis Ant. & Samuelis de Tournes.

M. DC. LIIII.

Digitized by Google

DISSERTATIO
Ad D. PAVLI locum, I. *ad Corinthios* XI.

ALIQVOT iam anni abeunt, Vir Doctiſſime & Conſultiſſime, cùm obiter, atque in alio argumento verſans, vexatum D. Pauli locum, *de velandis mulieribus*, priore ad Corinthios epiſtolâ, *capite vndecimo*, vt leui, ita & procliui mutatione emendare cœpi, ſuffectâ tantùm ibi voce ἐξουβίας, loco ἐξουσίαν. Cuius quidem emendationis cauſas aliquas ſignaueram tum magis quàm expreſſeram, eo quòd aliò feſtinarem: addito tamen, ea ipſa quæ breuiter à me indicarentur, commonſtrari vltra poſſe, &, ſi deinceps opus foret, firmaturum me pluribus. Exinde viri docti multi, eam emendationem, ceu εὐστόχως repertam, amplexati ſunt: paucis exceptis, quorum pars niſi à ſe promptum quidquam probare neſciunt, pars, religione ducti, ne interpolandi Sacri Codicis licentia, hoc quoque fors exemplo, emendandi prurigine, intemperanter, imò exitioſè inueheretur. CL. etiam Salmaſius, ille, vt veteri iugique amicitiâ mihi coniunctiſſimus, ita inter literatos celebratiſſimus, familiari primùm apud Belnam ſermone, eam haud ita pridem minùs probare, ſic tamen vt feſtinatio mea tum publicæ rei ergô, non ſineret nos rationibus putare ſeu contendere. Id mihi facto nunc opus, quando illi nuper, tractatu *de comâ, p.* 694. *&* 695. in expoſitione loci Paulini, eandem reprehendere viſum. In quo ſic agam, vt norint omnes, intelligat ipſe, quàm illibata ſartáque priſtina inter nos gra-

tiâ atque amicitiâ id à me nunc ſuſcipiatur. Et quamquàm non defore ſcio, quibus hæc mera λογομαχία, déque nudâ voce contentio, ac proinde ſuperuacaneæ operæ videbitur, mihi certè ita ſemper viſum, vbique adnitendum, ne quid in ſacro Codice inexcuſſum relinquatur, quo germana etiam lectio, ſi quæ vitium fortè duxit, reponatur, genuinóque per hæc ſenſu reſtituto, ſingula tanto magis animis illabantur, illuſtrentúrque.

II. Vt igitur rem quam occœpi adgrediar, D. Paulus, inter cætera, quibus labantem Corinthiorum diſciplinam erigere in animum induxit ſuum, integrum caput XI prioris Epiſtolæ ad Corinthios eò impendit, vt modeſtiam ἀσχημοσύνην & ἀταξίαν in communi Eccleſiæ cœtu ſanciret. Inter alia porrò curua eius Eccleſiæ, habitum quoque ſeu ſchema virile & muliebre, quod capitis tegumentũ attinet, corrigere inſtituit. Inde igitur in viris velamentum capitis ex profeſſo damnare: ſiue id à Iudæorum conſuetudine retinerent, ſiue potiùs è Gentilium exemplo traxiſſent, qui velato, adoperto, obnupto capite, ἐπικαλυπτόμενοι, ſeu ἐπὶ κρύψει τῆς κεφαλῆς, Deos ſuos adibant & adorabant (quáquàm & fœminæ hoc ipſum vſurpare ſolitæ, vbi ſacra ſua facerent) Quod Chryſoſtomus quoque ad hunc ipſum locum notat *p.* 407. ὅπερ, inquit: ἑλληνικοῦ νόμου ἦν: & Theodoretus ad verſum 4. huius capitis, *p.* 172. καὶ γὰρ τὸ ἑλληνικὸν ἔθος τὰς κεφαλὰς κεκαλυμμένας ἔχοντες προσηύχοντο τοῖς θεοῖς. Contrà verò idem Paulus mulieres velatas eſſe oportere definit, capútque eas obnubere iubet: pluribus rationibus additis, quas ibi inculcat: Vbi poſt alia ſubjicit, & ex ſuperioribus ità concludit: διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους.

III. Hîc interpretes, quà veteres omnes, quà recentiores fermè, in eam conceſsêre ſententiam, vt ἐξουσίας ibi vocem accipi oportere contendant, non modò per μετωνυμίαν ſignati pro ſigno, verùm paſſiuo inſuper ſignificatu, pro indicio ἐνδεικτικά ſubjectionis muliebris ὑποταγῆς, imò

& ὑπεξου-

& ὑπεξουσιότητος, quâ ſcil. mulier poteſtati viri obnoxia ſuppoſitáq; dicatur. Græci certè Theologi, quod ab aliis iam indicatum eſt, ita ſenſêre, apud *Oecumenium*: ἡ γυνὴ ὀφείλει ἔχειν ἐξουσίαν, τουτέστι τὸ τῆς ἀνδρὸς ἐξουσίαν καὶ κυριότητα ἧπερ ὑποκεῖται, ὀφείλει ἔχειν τὸ ἐπιδείκνυσθαι ἐπ' αὐτῆς τῆς κεφαλῆς. Mox, διὸ καὶ αὐτὸ τὸ κάλυμμα εἰκότως ἂν ἐξουσία κληθείη, ὡς τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἐξουσίας καὶ κυριότητος ἐνδεικτικὸν ὑπάρχον καὶ παραστατικόν. Neq; aliter Chryſoſtomus, qui inter alia σύμβολον ὑποταγῆς καὶ ἐξουσίας interpretatur. Et Theodoret. τὸ κάλυμμα ἐξουσίαν ἐκάλεσεν, ἀντὶ, τοῦ δεικνύντος τὴν ὑποταγὴν συστέλλουσα. Baſilius M. ſiue quis alius author, *de verâ Virginitate ad Letoium Melitenſem Epiſcopum*, p. 747. διὰ τοῦ ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὴν ἐξουσίαν, τὴν πρὸς τὸ κρεῖττον ὑποταγὴν δι' εὐγνωμόνως ὁμολογοῦσα. Theophilactus ſimiliter, σύμβολον τὸ τοῦ ἐξουσιάζεσθαι interpretatur, ſeu τὸ τῆς ὑποταγῆς σύμβολον, & σημεῖον ὑποταγῆς. Ita, inquam, Interpretes Græci: Neque aliter Syrus, Arabs, Ægyptius, Latiníque, qui & ipſi *poteſtatis* verbum hîc retinent. Tertullianus etiam, *de velandis virginibus c.7. & vlt.* & *lib. 5. contra Marcionem c.* 8. Et auctor commentariorum *in ep. ad Corinthios*, inter Ambroſii opera, qui eâ voce *velamen* ſignificari ait, quomodo & plerique accipiunt. Similiter verſiones: quarum etiam nonnullæ non nudam vocis ἐξουσίας vim per *poteſtatis* vocabulum exprimere contentæ ſunt, verùm, quia durum id vident, περιφραστικῶς inſuper adiuuant: ita, *fœminam habere oportere ſupra caput ſignum quòd ea ſub poteſtate ſit*: vel ita breuiùs, *poteſtatis indicium*. Eiuſdem profectò commatis eſt quod Iſidorus, *Offic. Eccleſ. c.9.* poſtea quàm dixit fœminas, dum maritantur, velari, ſcilicet vt nouerint ſe per hæc viris ſuis eſſe ſubjectas & humiles, ſubjicit: *Vnde & ipſum velamen vulgò* Mauortem *vocant, id eſt Martem; ſignum enim maritalis dignitatis & poteſtatis in eo eſt.*

IV. Iſtud verò interpretamentum, etſi iam olim & hodie receptum, dixi tum neſcire me, vtrùm apud quemquam hanc ad diem plenam fidem meruerit, mihi certè

nunquam, ceu βίαιον nimis placere potuiſſe. Et profectò, vt hic ſenſus conſtare poſſit, duo ſtatui oportet: primò quidem, ἐξουσίαν ſeu *poteſtatem*, pro ſigno & indicio poteſtatis ibi vſurpari: deinde, ipſammet ἐξουσίαν ſeu *poteſtatem*, in effectu, pro ὑποταγῇ, imò ὑπεξουσιότητι, intelligendam. At quis duplicem hunc tropum in vnâ eadémque voce ſimul admittat? Deinde, vt maximè prius illud, metonymiam puta ſignati pro ſigno, hîc concedamus, quæ tamen non tam promiſcua eſt, vt cùm retrò ſignum pro re ſignatâ effertur: atquin poſterius illud, nullo ſatis colore defendi poteſt: videlicet, vt ipſum ἐξουσίας nomen (neque enim de verbi alicuius terminatione nunc agimus, vbi actiuæ terminationes paſſiuum quandoque ſignificatum habent, & retrò) per ſe poſitum, quod actiuum ſeu agendi ſignificatum habet, vimque & poteſtatem in alium denotat, in paſſiuum ſeu contrarium planè ſenſum, ὑποταγῆς & ὑπεξουσιότητος, patiendi notione, vertatur ſeu transferatur. Neque eſt, quòd quiſquam regerat, imò ἐξουσίας ſeu *poteſtatis* vocem actiuo ſignificatu hîc vſurpatam, pro poteſtate ſcilicet quam vir habet in muliere: ac ſi dixiſſet Apoſtolus, mulierem habere oportere in capite ſignum ſeu ſymbolum poteſtatis, quam maritus habet in ſe mulierem. Nam quòd vocem ipſam ἐξουσίας attinet: ſi de *viri* poteſtate in mulierem hîc Apoſtolus ſenſiſſet, neceſſariò profectò id ab eo expreſſum oportuiſſet, quandoquidem, vt verba ſonant, mulieris capiti ea poteſtas tribuitur. Quod verò rem attinet, ni fallor, qui alteri ſuppoſiti ſunt ſeu obnoxii, quiue alterius ſunt Miniſtri vel Officiales aut apparitores, denique qui alienæ poteſtati ſubjacent, ſi quæ ſigna vel ſymbola, ſi quod ſchema, ſi quem habitum in corpore vel capite ſuo, vel pectore, aliâve corporis parte præferant, svæ conditionis & ſubjectionis ſigna præferre dicuntur. Sic ſanè olim quoque Cenſuales, & officiales, ſeruique publici, cùm cincti penulatiq; & diſcolori veſte dignoſcerentur, *conditionis* svæ *neceſſitatem ex huiuſmodi agnitione*

(ſeu

(ſeu habitu) *teſtabantur*, vt diſertè ait Theodoſius M. *l* 1. *Cod. Th. de habitu quo vti oportet intra vrbem*, de quo pleniùs *ad eam legem*. Et viceuerſâ qui poteſtatem habent aut dignitatem, poteſtatis & dignitatis *ſuæ* ſymbola ſignáque præferre dicuntur, non verò alienæ ſubjectionis, ὑποταγῆς & ὑπεξουσιότητος: τὰ τῆς ἀρχῆς, inquam, & ἐξουσίας ſymbola, de quo etiam Chryſoſtomus in hunc locum aliquid, *p.* 411. Tertullianus quoque, *lib.* 3. *aduerſus Marcionem cap.* 19. de Regibus agens. *Qui omnium Regum inſigne poteſtatis* SVÆ *humeris præfert, & non aut* CAPITE *diadema, aut manu ſceptrum, aut aliam propriæ veſtis notam?* Denique propria, σημειώδης, ἁρμόζουσα, inſignis, ἔξαλλος veſtis cuiuſque ea eſt, quæ SVÆ conditionis, non alienæ ſigna præfert. Quare & idem Tertullianus *lib.* 1. *de pallio*, dixit, *Et ſi quid* CONDITIO *vel temporalitas veſtit.*

v. Sed ait Vir Celeberrimus, *d. p.* 695. *& ſeq.* Paulum dixiſſe *poteſtatem*, pro velamine, quo, velamine ſcilicet, mulier ſignificatur poteſtati viri eſſe ſubjecta: hac interpretatione adhibitâ, quòd apud Hebræos, & quidem Leuitici *cap.* 13. *v.* 45. *liberum & ἀκάλυπτος* pro eodem ſumatur, pariter vt apud Chaldæos: quare è contrà, de eo quod velatum eſt contrarium dici conuenire, nimirum vt pro ſubjecto & obnoxio habeatur: & cùm velamen prohibeat, caput dici & haberi eſséque liberum, meritò Paulum ἐξουσίας nomine velamen appellaſſe, quia nota eſt ſubjectionis, & proinde quaſi poteſtas capiti impoſitum eſt, quandoquidem in cauſa eſt, ne liberum ſit. Tot ſcilicet compagibus iſtud ædificat argumentum: quod ſi ad ſyllogiſticam rationem redigatur, ei neque modum neque figuram reperias. Sed Primùm, elenchus ὁμωνυμίας hic admittitur: *liberi* enim, & ἀκαλύπτου vocabula illo Leuitici loco, rectè pro eodem ſumuntur, quia ἀκάλυπτοι illud eſt, quod tegumento liberum eſt. Quare & ſeptuaginta eo ipſo loco ἀκαλύπτου vocem vſurpant, καὶ ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ ἀκάλυπτος, Sed enim intecti & tegumento liberi vox, neque eo loco, neq;

alibi, ſignificat ſtatu perſonæ ſuæ liberum, quiq; ſuæ ſpontis eſt, & αὐτεξούσιος, ſed, vt dixi, corpore, vel aliquâ corporis ſui parte liberum, nudúmque. Quare iam cætera illius concidunt: vbi & confunduntur *haberi*, & *ſumi:* Sed eſto, ἀκατακάλυπτον caput, alicubi indicium & ſymbolum eſſe ἐξουσίας, contrà, velatum ſubjectionis ſignum eſſe & ſymbolum, ſed an ideò vox ipſa ἀκατακαλύπτει poteſtatem ſignificet? Quare res & nomina hîc confunduntur. Nos enim hîc de nomine quærimus, non de interpretatione ſymbolicâ rei. Tandem, quale illud eſt, *velamen notam ſubjectionis, quaſi poteſtatem capiti imponi?* Nam imò contrarium dici oportuit, cùm velamen nota ſit ſubjectionis, etiam quaſi nota ſubjectionis capiti alicuius imponitur, non autem quaſi poteſtas, vel alienæ poteſtatis, vt interpretatur, indicium, vti paulò antè oſtendi. Quod idem ait, quod & alii iam dixêre, ita retrò apud Romanos dictos olim ſeruos vocari ad *pileum*, id eſt, ad libertatem, cuius pileus inſigne erat, vt apud Græcos coma libertatis, id vltro concedimus: & ad rem faceret, ſi hoc Pauli loco res aliqua quæ alterius rei ſignum eſt, expreſſa fuiſſet: & verò exprimi debuit, vt res alia ſignaretur.

VI. Ludouicus Capellus, vir & ipſe doctiſſimus, *in ſpicilegio, p. 94.* vt vulgatam lectionem & interpretationem tueatur, & ipſe ad Hebraiſmum confugit: Nempe vult, vtramque vocem, & eam quâ velum, ſeu velamentum, ſignificatur, & eam quæ *poteſtatem* indicat, à thematibus profectas, quæ Hebræis κυριεύειν & ἐξουσιάζειν ſignificant. Eſto, ſimile vtriuſque vocis thema eſſe, ſed an ideò eadem vtriuſque ſignificatio, vel promiſcuus earum inter ſe vſus eſſe debet vel poteſt? Deinde quid hoc ad Græcam ἐξουσίας vocem?

VII. Vir magni nominis Daniel Heinſius, ſuis in Nouum Teſtamentum notis ſiue exercitationibus, *p. 391. 392.* nouam & ipſe viam ingreſſus eſt, vt receptam lectionem, vocémque ἐξουσίας hic tueretur, verùm alio prorſus ſenſu

vel

vel interpretatione, quam vulgus, vim videlicet faciens (vt cum noſtris loquar) in verbis illis, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς: Nempe enim hîc dici vult, mulierem ἔχειν ἐξουσίαν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, habere poteſtatem in capite (retentâ ſimplici & genuinâ vocis ἐξουσίας ſeu *poteſtatis* ſignificatione) id eſt, habere poteſtatem in viro ſuo, qui caput eſt mulieris. Cuius interpretationis fundus illi, quòd eo capite inter alia ὁ ἀνὴρ κεφαλὴ γυναικὸς dicatur, & mulier viri ſui ſeu capitis causâ creata: vnde inferri ait, æquum eſſe, vt mulier ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, *in viro ſuo*, non verò *in ſe poteſtatem* habeat, idq; teſtetur capite tecto & obuoluto, quod ſubmiſſionis ſignum eſt. Et hanc etiam ſententiam ſuam nonnullis aliis argumentis ſuffulcit: Ita enim Dominum ad fœminam poſt lapſum dixiſſe, *Geneſeos* 3. πρὸς τὸν ἄνδρα ἡ ἀποστροφή σου, i. *ſub viri poteſtate eris*, vt habet vetus Interpres, vbi etiam ſequitur καὶ αὐτός σου κυριεύσει, i. vt interpretatur, *ipſe poteſtatem habebit in te.* Additque, ita matronam dici habere ἐξουσίαν ὑπ' ἀνδρός, vt contrà Ezechielis 16. *verſu* 30. meretrix ſui ἐξουσίαν habere dicitur, & opera eius dicuntur γυναικὸς πόρνης ἐξουσίαν ἐχούσης: cuius videlicet (nam id ita explicat) neque maritus neque Chriſtus caput eſt. Hæc inter alia Vir Clariſſimus, vbi initio illud ſaltem rectè; quòd ἐξουσίας vocabulum pro velamento, ſeu ſigno ſubjectionis vel poteſtatis alienę, ſtare vel accipi non poſſe rectè vidit, contra vulgatam & receptam hactenus Interpretationem: Sed reliqua malè. Nolo ego hîc ad veterum conſenſum prouocare, qui omnes iſta, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, de ipſomet mulieris capite, non verò de viro, qui figuratè caput mulieris dicitur, accipiunt, etiam Clemens Alexandrinus, *pædagogi lib.* 2. *cap.* 10. *circa fin. p.* 151. quandò & ipſe hoc in argumento à veterum conſenſu recedere fas mihi ducò, circa nudam videlicet ἐξουσίας vocem, in cæteris cum ipſis conſentiens. Nolo etiam illud reprehendere, quòd hunc Pauli locum ad mulieres coniugatas ſeu vxores coarctat, quatum maritus caput eſt, etſi inter Theologos

illud adhuc controuertitur, num Pauli dictum, etiam ad inuiras, quę maritum ſortitæ non ſunt, pertineat, quod ipſis diſcutiendum relinquo. Quid igitur? Apoſtoli primùm ſcopus eo capite, verborúmque ibi nexus & conſequentia, huic nouæ Interpretationi refragatur: neque enim id eo loco Paulo propoſitum fuit, vt oſtenderet, mulierem viro ſubjectam eſſe & obnoxiam, de quo non dubitabatur, verùm poſteaquam mulierem velatam eſſe oportere propoſuit, mox & rationes eius rei addidit, inde iam infert hoc verſiculo, ſeu concludit, ideò velatam eſſe oportere, non ἀσκέπαστο ſcilicet, ſeu ἀκατακάλυπτον: διὰ τοῦτο, inquit, propterea ſcilicet quòd vir caput mulieris eſt, &c. ideò debet velamentum habere in capite. Secundò, hanc eandem interpretationem reſpuit vel illa locutio ἐξουσίαν ἔχειν. Quid enim quæſo eſt HABERE *poteſtatem*, quæ alioquin in jure formula paſſiua eſt, aliud, quàm ἐξουσιάζειν, poteſtate ſuccinctum eſſe, non autem in alio poteſtatem agnoſcere, & ſic ſubjectum & obnoxium ſe profiteri, manuiq; & poteſtati ſuppoſitum? Nam & eodem quoque ſenſu, quod magis eſt, vt id obiter etiam nunc moneam, in illo Matthęi, *cap.* 8. *v.* 9. loco, qui & ipſe hactenus ſalebroſus eſt, maléque acceptus, Centurio ſeſe ὑπὸ ἐξουσίαν εἶναι, ſiue jactat ſiue profitetur: vel quomodo Lucas habet, *cap.* 7. *v.* 8. ὑπὸ ἐξουσίαν τασσόμενον, id eſt, poteſtate ſuccinctum, in poteſtate conſtitutum, pro quo aliàs ἐπ' ἐξουσίας dicuntur qui aliis imperant: ὑπὸ enim ibi non ſignificat *ſub*, verùm *in*: quomodo Cicero ipſe dixit *in* poteſtate eſſe: ſic ſanè & apud Romanos ſæpe *ſub* vſurpatur loco *in*: vt apud Virgilium Seruius non vno loco obſeruat. Homerus ipſe, ὑπὸ τείχεσι, pro *in muris*, aliáque id genus, quæ notiſſima ſunt, de quo fortè aliàs plura. Tertiò renititur huic explicationi vox ἐπὶ, quæ vim ſubjecti habet, non objecti, formuláque adeò integra ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, & ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχειν: Ea quippe hac in re legitima & ſolemnis eſt, quum de tegumento capitis agitur. Sic enim, vt de multis pauca afferam,

Plutarchus,

Plutarchus, *in quæſtionib. Romanis:* Οἱ Ῥωμαῖοι τῶν ἀνθρώπων τοῖς ἀξίοις τιμῆς ἀπαντῶντες, κἂν τύχωσιν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον ἔχοντες ἀποκαλύπτονται. Idem *in Naſicâ*, τὸ κράσπεδον τοῦ ἱματίου θέμενος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Omitto alia eiuſdem, & aliorum, quia obuia. Pauſanias ita certè quoque, *Eliacorum p.* 381. de quodam Templo agens, vbi Soſipolis colebatur, ait, ad id nulli aditum patuiſſe, niſi vni ſacrificulę, ἐπὶ τὴν κεφαλὴν καὶ πρόσωπον ἐφελκυσαμένῃ ὕφος λευκόν, *quæ ſupra caput & faciem candido textili velata eſſet.* Sic & Latini dixêre, *in capite habere.* Varro, *l.6.de ling.Lat.* vbi de tutulo agit: *Tutulati*, inquit, *dicti hi, qui in ſacris in capitibus habere ſolent, vt metam.* Idem 4. *de linguâ: Capital, à capite, quod ſacerdotulæ in capite etiam nunc ſolent habere:* mox. *Mitra & reliqua ferè in capite.* Feſtus: *Suffibulum veſtimentum*, &c. *quod in capite Virgines Veſtales ſacrificantes habebant.* Sic quoque veteres apud Nonium Marcellum, *c.* 14. & 16. aiunt, *penulam in capite inducere. & in capite injicere riculam.* Vt omittam, quæ de velatis Flaminum, Augurum, & ſimilium, nubentium, lugentium, reorum, mortuorum capitibus paſſim occurrunt, vt & de cœteris capitis tegumentis. Quartò huic eidem Interpretationi refragatur ratio ſubdita, διὰ τοὺς ἀγγέλους: quocunque enim tandem ſenſu ea verba accipiantur, vel etiam legantur, ex iis nullo modo efficias, quod illi volunt, mulierem viro, tanquam capiti ſuo, ſuppoſitam, in eo viro poteſtatem agnoſcere oportere: verùm iſtud rectè, velatam eam eſſe oportere, ἀσχημοσύνης ergô. Quintò, quis vnquam fando audiuit, vel vſpiam legit ita vnquam loquentem, vt *habere poteſtatem in alio* quis, non in ſe, dicatur, pro poteſtati alienæ ſubjectum & obnoxium ſeſe agnoſcere? Etſi verum ſit, quem *ſuæ poteſtatis* rectè dici, qui alienæ poteſtatis non eſt, αὐτεξούσιος. Quod Geneſeos locum attinet, nihil ille ad rem facit, & ad eam locutionem quam hîc vſurpari volunt: rectè enim & propriè ibi de vxore dicitur, eius ἀποστροφὴν πρὸς τὸν ἄνδρα σου, cuius ſcilicet deſideria & appe-

titus ad maritum referuntur, quæq; tota ab eius voluntate pendet, & ad eum refugium habet: id enim eſt ἀποστροφή: vnde & ipſe vir viciſſim ibidem ilico γυναικὸς κυριεύειν dicitur. Ἀποστροφὴν porrò alij vertunt *conuerſionem*, vt vulgata: Aquila, *ſocietatem*: Symmachus, *appetitum* vel *impetum*. Neque *Ezechielis* locus huc quicquam facit: Ibi quippe deſcribitur meretrix projectæ libidinis, quæ omni pudore profligato, quod ſibi cúnque libet & licere putat: Id enim eſt ibi, ἐξουσίαν ἔχειν, licentiam omnem ſibi tribuere: vnde Hieronymus vertit ibi ſecundùm veritatem Hebraicam, meretricem procacem: ſecundùm ſeptuaginta, impudentem. Ἐξουσία, pro licentiâ paſſim, etiam hac epiſtolâ priore ad Corinthios: & Eccleſiaſtici 9. *v.* 18 ἀπέχε ἀπ' ἀνθρώπου ὃς ἐξουσίαν ἔχει τοῦ φονεύειν. Et certè ſeptuaginta Interpretes in aliquibus, & apud Theodoretum *p.* 332. apud Ezechielem habent παῤῥησιαζομένης. Παῤῥησία igitur, ἐξουσία, & licentia pro eodem. Theodoretus rectè interpretatur mulierem, quæ pudore à fronte abſterſo, impudenter & propalàm intemperantiam profitetur. γυναικὸς τῆς μὲν αἰδῶ μετώπου ἀποξυσάσης, ἀναισχύντως δὲ καὶ φανερῶς τὴν ἀκολασίαν μετερχομένης. Hieronymus, *non occultè, ſed totâ libertate*. Sic quoque Eccleſiaſtes *cap.* 9. *v.* 17. ἐξουσιαζόντων ἐν ἀφροσύναις, vel, vt ſchol. ἐξουσιάζοντος ἐν ἀνοήτοις. Sic olim apud Romanos impudicæ mulieres LICENTIAM ſtupri apud Ædiles vulgabant profeſſione flagitii, vt vel Tacitus ſcribit; *lib.* 2. *Annal. cap.* 85. Alioquin & juſtum voluntatis ſuæ arbitrium qui habet, ſeu cuius voluntas ab alienâ non pendet, dicitur ἐξουσίαν ἔχειν περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος ab eodem Paulo hâc ipsâ epiſtolâ *cap.* 7. *v.* 37. Quod verò idem vir celeberrimus obiter adfert ex *Achmetis* Onirocriticis, ab hoc argumento, & ab hac ἐξουσίας appellatione, alienum prorſus eſt: ac nominatim, quod inde notat, ſi matrona maphorium in ſomnis viderit ex parte conſciſſum, periculum eo metúmque ſignificari, ne vir eius ἀπὸ ἐξουσίας dejiciatur: Nam, præterquam quòd hîc de

ſomnii

ſomnii interpretatione non agitur, vbi onirocritæ liberioribus ſpatiis decurrunt, verùm de vocis ἐξουσίας, & quidem in marito reſpectu vxoris, ſignificatu, ἐξουσία iſta, de qua apud Achmetem, de publicâ poteſtate dicitur, quæ τῆς ἀρχῆς ἐξουσία, quæ cum priuatâ poteſtate nil commune habet, multò minùs ad tuendam ἐξουσίας vocem apud Paulum quidquam facit. Quam denique ſententiam ex epiſtolâ Iudæ, v. 6. ad ſuum ſenſum concinnat vir doctiſſimus; ea reſponſum non aliud meretur, quàm quòd Iudas nihil tale ibi dicat, quale ipſe proponit.

VIII. Clariſſimo Viro, qui de ſacri Inſtrumenti interpretatione dudum optimè meretur, & nuper adhuc meritus eſt, quémq; ego multis nominibus colo, cùm & ipſe ἐξουσίας vocem ibi tueatur, alia tamen placet interpretatio: Nempe ἐξουσίας vocem ibi interpretatur de poteſtate ſeu facultate procedendi honeſtè in publicum: ſic tamen, vt ex receptâ vulgatáq; interpretatione id ſimul adſumat, mulierem in id ſignum aliquod in capite præferre oportere, vt ita honeſtè procedendi facultas ei pateat. Minùs pensè: nam quod vocem ἐξουσίας attinet, quis eam vnquam nudè poſitam, & niſi quid aliud adjiciatur, ſignatè pro poteſtate, ſeu licentiâ in publicum procedendi vſurpauit, vel vſurpare potuit? aut quomodo vtrumq; iſtud vni voci ſimul conuenire poſſit, puta & poteſtas publicè procedendi, & quidem honeſtè, & poteſtatis iſtius ſimul ſignum? Quod rem verò attinet, quemadmodum Apoſtolus hoc integro capite, quod totum διορθωτικόν eſt, duplicem ἀταξίας, ſeu duo πλημμελήματα, quæ in cœtu conuentúque Eccleſiæ Corinthiacæ admittebantur, emendare inſtituit, ita de habitu & ſchemate mulieris in eodem Eccleſiæ conuentu egit: vti clarè duobus locis expreſſum eſt. Primùm, v. 4. πᾶσα γυνὴ προσευχομένη ἢ προφητεύουσα ἀκατακαλύπτῳ τῇ κεφαλῇ καταισχύνει τὴν κεφαλὴν ἑαυτῆς. Dein, v. 12. ἐν ὑμῖν αὐτοῖς κρίνατε, πρέπον ἐστὶ γυναῖκα ἀκατακάλυπτον τῷ Θεῷ προσεύχεσθαι. Inter quæ duo loca hic noſter, quo de nunc

 agimus,

agimus, medio loco poſitus eſt. Iſtud igitur nominatim corrigere ſeu emendare Paulus ibi inſtituit, quod in Eccleſiâ tum perperam admittebatur: Non quòd non idem obſeruari vellet procedente in publicum muliere, ἐν τῷ εἰς δημόσιον προϊέναι, atque in communi conuerſatione, ſeu foro, quod Patres, & in his Chryſoſtomus & Theophilactus rectè agnoſcunt, qui διὰ παντὸς, διηνεκῶς ἀεὶ, velatam mulierem voluiſſe Paulum definiunt, verùm quia illud tantùm emendatione opus haberet: Veterem enim hac parte diſciplinam mulieres in publicum procedentes tum Corinthi ſeruaſſe videntur: quomodo ſanè de Tarſo, quæ ipſius Pauli Apoſtoli patria erat, déque Tarſenſibus mulieribus diſertè teſtatur Dio Chryſoſtomus, loco quem ante octennium iam hanc ad rem indicaui, *diatriba de Imperio Maris*, ex *Oratione* eius *Tarſicâ* 13. quæ ordine eſt 33. *p.* 401. Καὶ ὅτι πολλὰ τῶν νῦν ἔτι μενόντων ὅπως δήποτε ἐμφαίνει τὸ σῶφρον καὶ τὸ αὐστηρὸν τῆς τότε ἀγωγῆς, ὧν ἐστι περὶ τὴν ἐσθῆτα τῶν γυναικῶν, τὸ τοῦτον τὸν τρόπον κατεστάλθαι καὶ βαδίζειν, ὥστε μηδὲν ἂν αὐτῶν μέρος ἰδεῖν, μηδὲ τοῦ προσώπου, μήτε τοῦ λοιποῦ σώματος, μηδὲν αὐτὰς ὁρᾶν, ἔξω τῆς ὁδοῦ μηδέν. Et mox. ὥστε τὰ μὲν πρόσωπα κεκαλυμμένα βαδίζουσι, τῇ ψυχῇ δὲ ἀνακεκαλύφθαι, καὶ σφόδρα ἀναπεπταμένην τοιγαροῦν ὀξύτερον βλέπουσιν ἑνὶ τῷ ὀφθαλμῷ, ὥσπερ οἱ γλαυκώμεναι. Tandem, omnes fatentur, illa, quæ pro vltimâ ratione hoc verſiculo noſtro ſubjiciuntur, διὰ τοὺς ἀγγέλους, ad conuentus in Eccleſiâ pertinere. Ergo eòdem pertinent & illa, ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξυβίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς.

IX Et hactenus quidem de interpretationibus, quibus receptam lectionem, atque adeò ἐξουσίας ibi vocem tueri, viri docti, aliter atque aliter, ingenioſè adlaborant. Nunc emendationis noſtræ defenſionem ingredimur, quem in finem hæc Diſſertatio à me inſtituta eſt: vbi initio videndum eſt, cur vir celebratiſſimus ἐξουβίας vocem loco ἐξυσίας hîc reponentem ferre, conjecturámque adeò noſtram probare nolit.

Primùm

Primùm ait, totam antiquitatem contrà ſtare, etiam vltimam, omnes Patres, omnes Interpretes, Syros, Arabes, Ægyptios, Latinos, qui vulgatam omnes lectionem tuentur, vocémque ἐξουσίας agnoſcunt: à quibus proinde recedere fas non ſit. Scio equidem ipſe, quantum tribuendum ſit antiquitati, veterúmque conſenſui: Atque illud cum primis ſcio, quænam religio, quantáque veneratio ſacro Codici debeatur: imò, quàm exitioſè iam olim hæretici ad huiuſmodi Varias Lectiones & emendationes locorum ſeu textuum ſacræ ſcripturæ, confugerint: quàm infeliciter Patres nõnulli hac quoq; parte Conjecturis indulſerint: Sed & cœtera ſcripta mea, in rebus minoris longè momenti, ſeu præjudicii, id ſatis, opinor, teſtantur, etiam illud quod ad tuendam lectionem *Legis 2. ff. de rebus creditis*, paulò antè edidi, & nunc edo ad vindicandam *Legem Barbarius Philippus 3. ff. de off. Pratorum*, quàm abhorrentem à Correctionibus animum, & niſi ſumma compellat neceſſitas, geram: illud dudum edoctus, *deſperati ferme Interpretis eſſe ad emendationes confugere*. Denique & illud ſcio, quàm periculoſæ plenum opus ſit aleæ, quàm reprehenſioni obnoxium, ſi qui receptæ ſententiæ, velut aduerſo flumini, contraeat, & veterem, ſic vt dicam, opinionis exuuiam ponere alios jubeat. Sed tamen quis hodie ampliùs, vel è mediocriter literatis, ambigat, aut negare ampliùs poſſit, in his ſaltem quæ analogiam, canonem, ſeu regulam fidei non concernunt, non percellunt (quam intactam ſemper cupio) priſcos adhuc errores & næuos quoſdam, à quibus ſibi neque vetuſtiſſimi Interpretes, quacunque ſint auctoritate, cauere ſatis potuerunt, quanquàm numero paucos, vel ſaltem ἀναγνώσεων διαφορὰς varias Lectiones, in noui fœderis inſtrumentũ, eiuſque ἀντίγραφα etiam antiquiſſima, ne de veteri nunc dicam, irrepſiſſe: ab imperitâ videlicet maláque librariorum ſeu ſcribarum manu, quod & Patres olim obſeruauêre: dum videlicet illi aut oſcitanter ſacrum textum

tranſcribunt, aut apicum ſeu literarum ductus flexuſque haud ſatis aſſequuntur: quo factum, vt non tantùm litera quædam alicubi aut tranſpoſita fuerit, additáve, vel prætermiſſa, vt notat Iſidorus Peluſiota. πολλάκις ἓν στοιχεῖον ἢ μετασοιχειωθὲν, ἢ παραλειφθὲν, ἢ προςτεθὲν, verùm etiam cum aliâ mutata, propter literarum in manuſcriptis affinitatem & cognationem ſeu ſimilitudinem. Quod pluribus exemplis firmare, poſt egregiam tot clarorum, & accuratam nuper adhuc doctiſſimorum virorum Danielis Heinſii, & Ioannis Croii induſtriam; *Exercitationibus & Obſeruationibus ſacris in Nouum Teſtamentum*, ſuperfluum puto. Vnicum tantùm vel alterum nunc afferam. Quis hodie ampliùs dubitet, epiſtolâ Pauli ad Coloſſenſes, *cap. 2. verſ. vlt.* non legendum παραβουλευσάμενος, ſed παραβολευσάμενος, poſteaquam id ſemel ἀξιόχως indicatum eſt:. & exinde id comprobauit auctoritas Manuſcripti Codicis optimæ notæ Clariſſimorum & Humaniſſimorum Fratrum Puteanorum, qui mihi non antiquâ magis cognatione, quàm vetuſto animorum fœdere conjunctiſſimi ſunt? Quis hodie ampliùs Actorum 6. ſcholam Λιβερτίνων ferat aut defendat, probabili aliquâ ratone, quos tamen Libertinos ibi hactenus ferme omnes tueri adniſi ſunt, etiam celebratiſſimus Salmaſius in funere Helleniſtico *ad ſect. 1. pag. 87. & ad ſect. 4. p.* 190. aliâ tamen atque aliâ interpretatione adhibitâ, pariter vt qui ἐξουσίας nomen hic mordicus tuentur, loco Λιβυστίνων i. *Libyſtinorum*: quomodo ibi reponendum omnes rationes clamant: Errore nato ex literarum affinitate ſeu cognatione: in Manuſcriptis quippe ſimili literarum flexu ſecunda vtriuſque Vocis ſyllaba (quâ tantùm differunt) puta βερ i. βερ: & βυς, id eſt βυς, exprimitur. Quicquid tandem & hic Interpretes omnes Latini, Syri, & qui non? Libertinorum nomen retineant: De quo fortè, ſi quis porrò ambigat, vel controuerſiam moueat, aliàs plura.

x. Et vir tamen doctiſſimus, poſteaquam ſcrupulum

religionis injecit, canámque antiquitatem in nos commouit, omniúmque Interpretum juncto vmbone phalanges oppoſuit, Grammaticæ Leges in aciem educit, vt pomœriis eius vocem ἐξουβίας excludat. Enimuerò ait primùm, quòd *Exuuia vox* ne Latina quidem ſit: *Exuuias* enim tantùm dici numero multitudinis, ſeu plurali: quanquàm idem indicat, facilè ſe, niſi alia obſtarent, huius ἐναλλαγῆς gratiam facturum. Hanc ego verò mihi neque depoſco, neque admitto, qui ſciam quicquid in hanc partem cenſeant vetéres Grammatici, Soſipater Chariſius, Seruius, Phocas & Gloſſæ quas vocant Cyrilli, Latinos ipſos ſeu priſcos Romuli nepotes, *auctoritate licentiæ*, *vſurpatiuè*, vt loquuntur, ſeu *conſuetudine vſurpatâ*, *prælicenter*, in ſingulari multa extuliſſe, quæ in plurali alioquin tantùm regulariter declinantur, & retrò, quæ ſingularia ferme ſunt, numero multitudinis quandoque efferre ſolitos, quod iidem illi Grammatici obſeruant. Exemplo eſſe poſſunt vel hæc: Anguſtiæ, *Anguſtia*: Argutiæ, *Argutia*: Blanditię, *Blanditia*: Cerimoniæ, *Cerimonia*: Copiæ, *Copia*: Deliciæ, *Delicia*: Facetiæ, *Facetia*: Induciæ, *Inducia*: Ineptiæ, *Ineptia*: Inimicitiæ, *Inimicitia*: Minutiæ, *Minutia*: Næniæ, *Nænia*: Offuciæ, *Offucia*: Præſtigiæ, *Præſtigia*: Reliquiæ, *Reliquia*: Vindiciæ, *Vindicia*: aliáque id genus, quæ diligentiſſimus Voſſius congeſſit, *lib.* 1. *de Analogia c.* 43. Qui ſciam & aliàs, Græcos, circa voces Romanas pallio dignatas, peploq; Græciæ intextas, huiuſmodi numeri ἐναλλαγὰς admittere, idque per omnia genera. Ita poſteriores Græci ἄρμα ἄρματος dixêre ἑνικῶς, indéque in plurali ἄρματα, quæ Latini ſemper πληθυντικῶς arma dicunt, quidquid Thomas Magiſter obſeruet. Sic κάγκελλος vel κάγκελος Græcis, apud ſcholiaſten Theocriti & Euſtathium ad Dionyſium, & in Gloſſis Baſilicorum, cùm aliàs apud Latinos *cancelli* nonniſi in plurali dicantur. Sic & σκάλα apud Pollucem, Heſychium, & Suidam, imò & *l. ſi pignore*, §. *pen. ff. de furtis*, cùm tamen ſcalæ inter fœminina

Digitized by Google

ſemper pluralia numerentur à Grammaticis, non minùs quàm *Exuuiæ*. Tandem, quidni *exuuia* rectè dicatur, cùm & *exuuium* vſurpetur? quomodo inſomnia & Inſomnium: Lixiuia, lixiuium: Vigilia, vigilium, vnde peruigilium, aliáque id genus promiſcuè exeuntium in *a* & *um*.

XI. Secundò ait, *Exuuias* non legi pro velamine vel pro veſte, niſi etiam adjungatur, cuius eæ ſint exuuiæ: Nam & exuuias non eſſe quas quis induit, ſed quæ alii ereptæ fuêre, quibus ſpoliatus quis & exutus fuit, & ſi alter eas induat, non eſſe illius qui induit, exuuias, ſed eius qui eas dereliquit, vel pro derelicto habuit, aut quas etiam amiſit vel furto vel rapinâ, vel potiùs morte ſuâ: Quin exuuias eaſdem eſſe cum *ſpoliis* ſeu λαφύροις; proinde, ſi dici poſſit, aliquem ſpolia habere in capite, id eſt velamina, idem de exuuiis vel de exuuia rectè dici poſſe. Multa verba & adglomerata quæ nobis euoluenda ſunt, vt ita ſoriticus & hic propè aceruus frangatur.

Primùm igitur & hîc ſatis expreſſum, quorum hæc Exuuia ſit, mulierum ſcilicet: Imò & qua corporis parte eam haberi oporteat: nempe in capite earum. διὰ τοῦτο ὀφείλει, inquit Paulus, ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Secundò, imò *Exuuiæ*, vel, vt veteres quoque, teſte Feſto, dixêre, *Exdutæ*, non illæ tantùm dicuntur, quæ aliis ereptæ, quibus quis ſpoliatus & exutus fuit, vel quas etiam ſponte exutas alii induêre, verùm illæ etiam quę ſponte ita exuuntur, vt non ad alios perueniant, ſed ab iiſdem rurſus quandoque ex intervallo qui eas exuerunt inhabitentur, induantúrque: denique, quę etſi aliis detrahantur, ita detrahuntur, non vt ſpolientur iis, verùm vt habitus pro more his per interualla mutetur. Non enim *Exuuiæ Deorum* dicebantur velamina & tegumina amictus, veſtéſque, quæ his modò aptabantur, modò deponebantur (quas & ideò moris erat in pompis præferre) teſte quoque Tertulliano, Apuleio, *lib.* 11. *Metam.* & Feſto, de quibus Tertulliani quoque illa ſunt *de pallio, c.* 4. *ſuper omnes Exuuias & peplos Auguſta veſtis:* quomodo

modo & apud Suetonium, *in Auguſto*, memorantur *Exuuiæ Iouis Optimi Maximi*: & Lactantium, *lib.* 2. *c.* 17. Imò, non & ipſe vir doctiſſimus ad Tertulliani pallium, *Exuuias* veſtes & ornamenta Deorum & Dearum in commune interpretabatur, vt peplos Dearum tantùm? Non & *Exuuiæ* ſerpentum vel ſtellionum dicuntur etiam quo tempore eas inhabitant, ſed quas ſuo ſtatoq; tempore vernatione annuâ exuturi ſunt, & ſic antequam eas exuerint, deinceps exuendæ: vnde eædem & *veſtes* Lucretio non vno loco dicuntur? Iſidori quoque in id locus, *lib.* 12. *originum*, *c.* 4. *in fi. Tunicæ ſerpentum exuuiæ nuncupantur, eò quòd iis quando ſeneſcunt ſeſe exuunt: quibus exuti in iuuentutem redeunt.* Addit idem, *dicuntur autem Exuuiæ & Induuiæ, quia induuntur & exuuntur.* Hinc adeò non ſerpentum modò ſed & omnium quæ ἐκδύνουσι, exuuiæ γῆρας καὶ σύφαρ explicantur: quomodo & Heſychius, γῆρας, δέρμα ὄφεως: item σύφαρ γῆρας τὸ ὑπέρτατον, οἱ δὲ τοῦ ὄφεως, &c. Vide & Suidam. Ergo exuuiæ, etiam quæ exutæ non ab aliis induuntur, imò exuuiæ etiam antequam exuantur: non exutæ ſemper aut ereptæ, aut derelictæ, ſed exuibiles (ſic vt dicam) ſuo tempore vltro: ſicut retro, *indumentum* eſt & dicitur quod non ſemper induitur, ſed *indutui* eſt. Sic etiam *Exuuiæ ſepulchri* apud Tertullianum, *Apolog. c.* 21. ſunt veſtes ſepulcrales, quibus corpora ſeu cadauera conueſtiebantur: quæ apud Euangeliſtas, ſindones, lintea & ſudaria dicuntur: & quidem σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, Ioh. *cap.* 20. *v.* 7. quomodo hîc ἐξουβία ἐπὶ τῆς κεφαλῆς dicitur: Eademq; τάφου στολὴ, ἐντάφια σπάργανα: imò & ἐνταφίων κειρίων appellatione deſignantur à Baſilio & Nicephoro. Ergo tandem exuuiæ etiam quæ modò induebantur, modò exuebantur: modò *exuuiæ*, modò *induuiæ*, etiam antequam exuerentur, ſed de more exuibiles & exuendæ. Quare & hîc ἐξουβία velamen, veſtis, tegumentum in capite, quod mulier modò ſumebat, modò ponebat: Quod alioquin vir doctiſſimus de ſua ἐξουσία tantopere contendebat. Imò non & *exuuiæ* dictæ, quas

ἀποῤῥοίας Epicurei dixêre, profectas ſeu emanantes è corporibus imagines apud Apuleium in *Apolog.* quam vocem eâdem in re reſtituit vir doctus in Lucretio? Tandem diſertè quoque Seruius *exuuias* interpretatur veſtes, & quidem 4. *Æneid.* vt & Nonius Marcellus *cap.6.* exponit, hominum tegmina aut veſtes. Non igitur exuuię eædem ſemper cum *ſpoliis*, cùm λάφυρα ſignificant: Imò & ſpolia ipſa non ſemper λάφυρα, verùm veſtes & tegmina, quibus indutus quis eſt: quod idem Nonius Marcellus ſcribit: & Iuriſconſultus teſtatur, in *l. Diuus Hadrianus 9. ff. de bonis damnatorum.* etſi ea ibi poſtea aliorum quorundam commodo cedant. Indéque *ſpoliarium*, ἐνδυτήριον, ἀποδυτήριον, cellula ante balneum (ne de alio ſpoliarii genere dicam) vbi loturi veſtes exuebant, rurſum ſumpturi: quibus ſeruandis *capſarii* adhibiti: & inde noſtrum illud, quod de veſte dicimus, quam dormituri exuimus, vbi ſurrexerimus, rurſum induturi.

XII. Et hæc quidem tela ſunt Viri Doctiſſimi. Si qui verò præterea opponat inſolentiam vocis inſuetę & Latinę, quæ in Paulo admittenda non videatur, facilis reſponſio, imò quiſquamne in hiſce literis tam hoſpes eſſe hodie poteſt, qui neſciat, complura in Inſtrumento Noui fœderis Romana ſeu Latina vocabula occurrere, Gręcis immixta, ξένα μιξορωμαϊκὰ, è Latio in Gręciam, è togâ ad pallium translata, peploq; Gręci ſermoni intexta, quæ viri induſtrii ſingularibus iam Obſeruationibus collegêre? Imò & illud obſeruo, quod hanc ad rem noſtram maximè facit, plures etiam *in re veſtiariâ*, quàm in vllo alio argumento, Noui Teſtamenti conditores, ξενίζοντας, voces Latinas vſurpaſſe: Enimuerò, ſex huiuſmodi pręterea occurrunt, puta λέντιον, φελόνη (κατ' ἀντιστοιχίαν) σανδάλιον, σπεικὸν, σιμικίνθιον, σουδάριον, (quam vocem rectè Latio vindicauit vir clariſſimus Daniel Heinſius aduerſus Nonnum.) Quibus adde nunc ſeptimum iſtud, ξυβίαν. Imò & D. Paulus ipſe ad hunc modum, hac ipsâ epiſtolâ priore ad Corinthios, vocem μακέλ-

μακέλλῳ vſurpauit: vt & alterâ *ad Timotheum epiſtolâ*, μεμ-βράνας dixit. Eademq́; apud alios quoque ſcriptores priſci probiq́; ſeculi vocum Latinarum mixtura occurrit. In Ignatii iam Epiſtolis, *ad Trallianos*, & *ad Polycarpum*, iſta, ἐξεμ-πλάριον, δεσέρτωρ, δεπόσιτα, ἄκκεπτα: vox item ναυφραγίῳ apud Voluſium Mæcianum, in *l.* ἀξίωσις, *ff. ad l. Rhod. de iactu.* vt & apud Syrianum & Sopatrum. Quomodo & aliàs hoc æuo à Græcis vſurpata multa adulterina & Barbara, teſtatur vel lemma *capitis* 1. *lib.* 9. qui intercidit, apud Gellium, in *Noctibus Atticis*. Neque voces tantùm ſingulares, verùm etiam integræ locutiones Latinæ in Græci ſermonis conſuetudinem irrepsêre. Cuius rei factique ratio in procliui: quòd Græcia omnis Romanis tum parêret, & à Romanis Præſidibus regeretur, Græciq́; etiam & Romani permixti agerent in communi conuerſatione & in foro, inter ἰδιώτας ſæpe, & negotiatores, artifices & operarios. Imò eſt & vbi coloniæ in Græcas vrbes ductæ, indigenis ἀρχαίους fermè ἀπολωλεμένων: quo in cenſu fuit quoq; Corinthus, de quo vide vel Pauſaniam, *initio Corinthiacorum*, quò hanc epiſtolam Paulus direxit: ſicut & Tarſenſes, è Tarſo Ciliciæ, quæ Pauli Patria erat, ſi non coloniarum numero, certè libertate, vel etiam ciuitate donati, Romani iam erant. Adde quòd iidem Tarſenſes domi vix deſidêrent, ſed peregrè fermè verſarentur, vt teſtatur Strabo, D. Pauli coætaneus, *lib.* 14. vnde his, & Cilicibus in commune, proculdubio exoticæ voces & locutiones multæ adhæsêre, & Latinæ quidem, quòd vrbs Roma Tarſenſium plena tum foret, vt idem Strabo auctor eſt, *ibidem*, *p.* 464. Et cæteroquin etiam Paulum multa verba iuxta morem vrbis & prouinciæ ſuæ familiariùs vſurpaſſe obſeruat Hieronymus, *in Epiſtolâ ad Algaſiam*, *quæſtione* 10. Idemq́; in *epiſtolam ad Galatas cap.* 3. ſcribit, Paulum verba quotidianæ ſermocinationis ſeu vulgi aſſumpſiſſe.

Profligatis hunc in modum quæ aduerſus Emendationē noſtram hactenus allata ſunt, vel adhuc moueri ab aliis

poſſent: refutatis contrà, quę pro tuendâ receptâ lectione ab ingenioſis viris adinuenta ſunt, liquere iam puto, quàm probabilis hæc correctio noſtra ſit: quæ non ab vllâ emendandi libidine vel prurigine profecta eſt, verùm quam ſumma neceſſitas extorſit: Quæ ſponte etiam enata, non fidiculis extorta, quales alioquin viri clari orbi ſæpe propinant: pronâ ſcilicet vnius tantùm literæ mutatione: cuius etiam eadem ferme forma ſeu figura eſt cum eâ, quę vicem eius hactenus ſubiit: Nempe enim litera βῆτα ſic quoq; exprimitur, Ϭ: & σῖγμα pari ἡμικυκλίῳ i. ſemicirculi formâ; ita, (: Quod vt veteres lapides oſtendunt, ita Terentianus quoque Maurus monuit, vbi de literarum figuris agit, quæ Græcis & Romanis communes erant.

I ſimiliter ἰῶτα credi: & C poteſt, quòd σῖγμα ſit.

Quare, vt facilis hîc lapſus, ita & procliuis neque longè arceſſita emendatio: cuius tamen hactenus nemini in mentem venerat.

Supereſt iam argumenta ex ipſomet Pauli contextu, ſeu οἴκοθεν, colligamus, quæ emendationem hîc neceſſariò iniungunt & ingerunt. Primùm ipſa, perpetuáq; Pauli in hoc de velandis mulieribus argumento hoc capite antitheſis inter virum & mulierem, id exigit: Nam, vt ſuprà, *v. 4. & 5.* κατὰ κεφαλῆς ἔχοντα, & ἀκατακάλυπτον τῇ κεφαλῇ oppoſuerat: ita cùm *commate 6.* de viro agens dixiſſet, ἀνὴρ γὰρ ὀφείλει κατακαλύπτεσθαι τὴν κεφαλὴν: nunc, poſt rationes eius rei redditas *v. 7. & 8.* perpetuâ & ibi antitheſi inter virum & mulierem, *hoc verſu nono*, de muliere contrà ait, iiſdem penè verbis, ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξυβίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς: vbi vides, quàm ſingula ſingulis apprimè reſpondeant & opponantur. De viro ait, ἀνὴρ ὀφείλει: de muliere, ὀφείλει ἡ γυνὴ: De viro ait, κατακαλύπτεσθαι τὴν κεφαλὴν: de muliere, ἐξυβίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς.

Reliqua iam huius ipſius commatis verba ſi attentè ſpectentur, ἐξουσίας vocē hîc ea ceu rejiculam reſpuunt, contrà emendationis neceſſitatē ingerunt. Nolo hic ipſam ἐξουσίαν, ſeu

ſeu poteſtatis vocem vrgere, quod Paulus Apoſtolus cùm variis locis de officio mulieris tractet, nuſpiam tamen ἐξουσίας vocabulo hoc ſenſu vtatur, verùm ὑποταγῆς, ὑποτάσσεσθαι, φοβεῖσθαι, δεδέσθαι νόμῳ. Et quod corpus attinet, idem Paulus non minùs viri corpus in poteſtate mulieris eſſe ait, ἐξουσιάζεσθαι, quàm vxoris in viri, hac ipsâ *priore ad Corinthios* epiſtolâ, *cap.* 7. *verſ.* 4. Quid igitur? *Nexus* ipſe primùm verborum Apoſtoli, in ingreſſu huius commatis, & conſequentia quam ex ſuperioribus rationibus educit, huc facit: διὰ τοῦτο, inquit, &c. Tres ſcilicet rationes præmiſerat, cur virum velatum eſſe non oporteret, contrà cur mulier velanda eſſet: ſcilicet quòd ille imago ſit & gloria Dei, & mulieris caput, neque ex muliere creatus, neque propter mulierem conditus: hæc verò viri ſit gloria, & ex eo & propter eum creata. Poſt quod iam rectè ſubjicit; διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς: propter has, inquit, rationes, quia viri gloria eſt, & ex eo & propter eum condita, ideò debet habere velamen in capite, ceu inferior modis omnibus: Nam, quod Gentiles etiam non omittunt, & in his Plutarchus, *in quæſtionibus Romanis*, *quæſt.* 10. caput velatum animi demiſſionis (pudoris proinde) & ſubmiſſionis ſignum eſt: ταπεινοῦντες, inquit, ἑαυτοὺς τῇ ἐπικρύψει τῆς κεφαλῆς, atque inferioris ſtatûs: quomodo & Chryſoſtomus ad hunc locum: ἄρα τὸ καλύπτεσθαι, ὑποταγῆς καὶ ἐξουσίας. Eò & Abimelech alluſiſſe videtur *Geneſ.* 20. *v* 16. quum ad Saram dixit ſe Abrahamo dediſſe mille argenteos, idq́ꝫ futurum ei pro velamento ſeu in velamen oculorum, &c. Sic & Rebecca ad conſpectum Iſaaci ſtatim θερίστρῳ ſeu pallio ſe operuit, *Geneſ.* 24. *v.* 65. Sic & Hieronymus *in caput* 3. *Eſaiæ* de ſuâ adhuc ætate teſtatur Arabiæ & Meſopotamiæ fœminas θερίστρῳ operiri ſeu obvolvi ſolitas. Alius verò impudicarum mos, quę publicę libidinis victimę in biuio itineris ſedebant: eæ quippe velatę quoque erant, ſed integrâ facie, vt ex *Geneſ. cap.* 38. *v.* 14. diſçimus: & *Cantici canticorum cap.* 1. *verſ.* 7. & Chryſippo in *Iſago-*

Digitized by Google

in *Iſagôge bonorum & malorum*, τὰ προσωπεῖα περιελόμενοι: quę ad frugem redeuntes ἀπέθεντο. Quare neceſſe erat, poſt illas rationes adſignatas, ex quibus inferioritas infertur, & ex ſuſcepti argumenti ratione, ſigni ſeu ſymboli ibi alicuius, & ſic velamenti, mentionem fieri, quo id mulier teſtaretur; non verò poteſtatis, vel inferioritatis, quam ſuprà iam ſatis adſtruxerat & præſuppoſuerat, continuâ antitheſi: denique tota argumentandi ratio lexq́; ἐξουσίας vocem ibi expungi imperat.

Idem præſtant & illa, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχειν: quæ, vt antea oſtendimus, tegumento ſeu velamento capitis propria ſunt & ſolemnia. Idem præſtat noua & ſpecialis ratio, quę eodem commate ſubjicitur, διὰ τοὺς ἀγγέλους: nam quocunq; tandem ſenſu illa accipiantur, vel legantur, ex his nunquã rectè efficias, ideò mulierem in poteſtate viri eſſe, ſeu virum in mulierem poteſtatem ſeu ἐξουσίαν habere, verùm iſtud, ideò quoque mulierem velatam eſſe oportere, geſtaréque in capite velamentum, διὰ τοὺς ἀγγέλους.

Iam ea quæ ſequuntur, ſexto ab hinc commate, quo hæc materia iam abſoluitur, argumentum ſuppeditant validiſſimum: Apoſtolus enim poſt omnia, hanc ad rem, τὸ πρέπον inſuper, naturæque ipſius præjudicium & argumentum, vt vtrumque vocat Tertullianus, *de virginibus velandis, cap.* 7.) in ſententiam ſuam aduocans, περιβόλαιον vocat, quod hic ἐξουσίαν dixerat: ἐξουσία porrò ἐπὶ τῆς κεφαλῆς; & περιβόλαιον idem ibi ſunt.

His omnibus ἐκ τῶν ἔξω adjice præjudicium quorundam Codicum: in quibus vetus Interpres hic habet diſertè, *velamen*, cui reſpondet vox ἐξουσίας, non verò *poteſtatem*; i. ἐξουσίαν: niſi putet quis, quod hic non adeo admitto, Interpretem, communem interpretationem ſecutum, non tàm λέξιν, quàm ſenſum eius exprimere voluiſſe. Adjice, quod apud Irenæum, *lib.* 1. *cap.* 1. Valentiniani ἰσοδυνάμως hunc locum ita exprimunt (Irenæo id non improbante) δεῖ τὴν γυναῖκα κάλυμμα ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς: quomodo &

Deme-

Demetrius Triclinius, *in Pindari hymn. 9. Olymp.* ἐν τῇ κεφαλῇ καλύμματι meminit: Etſi ſcimus, quàm non ſemper veteres ipſis ſacri textus verbis alligatos ſeſe putarent, ſi ἰσοδυναμοῦντα vſurparent.

Tandem, quid ἐξυβίας voce hîc aptius, aut rei conuenientius afferri poſſit? Nam cùm in genere *exuuia* ſeu *exunia* ſint vela & tegumenta, veſteſq; & munimenta, etiam pellis, ſeu corij, quæ pro veſte ſunt, quibus quis induitur, mox & quocunq; tandem facto, ſiue vi ſiue vltrò, ſiue in perpetuum, ſiue ad tempus, exuuntur, quod iam ſupra oſtenſum eſt: Ita ſpeciatim ἐξυβία ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, velum eſt, ſeu velamen & tegumentum capitis, quo mulierib. caput facieſq; tota tecta eſt & velata. ὥστε τὸ πρόσωπον μὴ ἰδεῖν τῆς γυναικὸς, μηδὲ αὐτὰς ὁρᾶν μηδέν: deniq; quarum mulierum τὰ πρόσωπα κεκαλυμμένα εἰσὶν, vt Dio Chryſoſtomus loquitur, locis quæ ſuperius laudaui: vnde in publico etiam procedentes ἔξω τῆς ὁδοῦ, vno oculo ſuos greſſus dirigebant. βλέπουσιν, inquit idem Dio, ἑνὶ τῶν ὀφθαλμῶν ὥσπερ οἱ γυναῖκες. Ergo non *nimbis* tantum mulieris frontem imminui voluit Apoſtolus, ſed caput totum facie mq; oculoſq; velari. Vbi quoq; omittere non poſſum, quod de ſerpentum exuuiis, ſeu membrana, obſeruant Phyſici, & in his Ariſtoteles, 8. *hiſtor. Animal. c.* 17. eas, cùm ponuntur, ab *oculis* incipere decedere, ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἀφίστασθαι πρῶτον, & ſic ſerpentem, ὄμμασιν ἀμβλώσσειν cæcutire, vt Nicander, *in Theriacis*. ita vt ſerpens *obcæcari* videatur iis qui rem non intelligunt: atq; vnâ nocte & die ſenium, τὸ γῆρας, exuere à *capite* ad caudam vsq;, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἀρξάμενον μέχρι τῆς οὐρᾶς: denique in ipsâ exuuiâ ita poſita (quæ & *Leberis* & σύφαρ dicitur) apparere tantum effigiem *oculorum*, & membranulam quandam tenuiſſimam, quâ ſerpentum *oculi* teguntur, vnde & prouerbium natum nonnulli aiunt τυφλότερος λεβηρίδος. Sed & illud notabile quod Apuleius Apol. p. 260. ſcribit de Exuuiis ſtellionum. Niſi inquit, *confeſtim eripias. ilicò conuertuntur & deuorant.* E quibus nonnulla muliebri exuuiæ

**** ſupra

ſupra caput eius an & quomodo aptari poſſint viderint alij. Et hæc quidem hactenus, Vir amiciſſime & Integerrime, breuiter apud te dicta volui: ſatis habens, ſi noſtra hæc emendatio tibi, candidisq; viris aliis, *non peſſima* ſaltem, neque ab vllâ *emendandi prurigine* profecta videatur: quam ego, quod ille dixit, affirmantiſſimè veriſſimam interim deputo, dum melius quid alius, quem ego vatem perhibebo, vel habet, vel affert: Et ſi hanc inſuper amicitiæ noſtræ, tam veteris, tam ſinceræ, teſſeram hanc publicam, quod oro te, habere, boniq; conſulere dignatus fueris.

FINIS.



ANT 1318768

Digitized by Google